



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

VIII. De clausura monialium quoad non egrediendum è monasterio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

II. Atque hinc colligitur potuisse Ecclesiam ita instituere religiosum statum foeminarum, vt prohiberet illum profiteri in proprijs domibus, sed tantum in sacris domicilijs & monasterijs ad hoc per ipsam Ecclesiam deputatis, & approbatis. Quia licet hoc non sit absolute de substantia, liberum est Ecclesiae non admittere professionem, nisi cum hac circumstantia, vt substantia religionis melius seruetur. Et ita fecisse saltem quoad ordinarium & frequentioremodum huius status, constat ex v. si Ecclesiae, quem antiquissimum esse constat ex Concilio Carthag. III. can. 33. Et licet nunc etiam non sit de substantia professionis, vt professio in monasterio seu intra claustra fiat, argumento dicti cap. *infirmare*. tamen certum est de ratione eius in talibus religionibus esse vt professio in ordine, & cum obligatione ad illum modum viuendi fiat. In eo tamen modo viuendi in communi potest adhuc esse latitudo in modo & obligatione seruandi claustrum.

III. Vnde vterius potest etiam Ecclesia non admittere aliquam foeminam ad religiosam professionem, nisi simul voueat vel se obliget ad non exeundum est monasterio, in quo stabilitatem profiteatur, sine legitima Ecclesiae dispensatione: quia licet hoc ex natura rei non sit de substantia illius status, tamen est ita coniunctum cum illo, & necessarium ad decentiam eius, vt possit Ecclesia merito non acceptare pactum professionis sine illa conditione. Dices: ergo posset Ecclesia prohibere ne foeminae in priuatis domib. voueant statum continentiae, quin etiam se obligent ad aliquam clausuram, quia haec videtur moraliter repugnare cum illo modo viuendi, & ideo posset Ecclesiam prohibere ne in illo fiat simile votum. Respondetur, non esse simile de professione religiosa, & de voto simplici: nam per professionem constituitur virgo in publico & solenni statu Ecclesiae, & est peculiari modo membrum Ecclesiastici status, cuius institutio & regimen speciali ratione est sub prouidentia Praetorum Ecclesiae: per votum autem simplex continentiae non constituitur status Ecclesiasticus, sed est actio mere priuata, quae non pendet etiam ex acceptatione Ecclesiae, sed inter Deum & solum hominem transigitur: & ideo vniuscuiusque consilio & arbitrio relinquitur, quauis si votum illud sit aliquo modo publicum, ad prouidentiam Pastorum Ecclesiae pertineat procurare vt decenter obseruetur: de qua re multa ex canonibus, & Patribus antiquis in superioribus adduximus.

IV. Tertio ex dictis colligitur, obligationem praecisam ad seruandam clausuram non egrediendi monasterium duobus vel tribus tantum modis intelligi posse in sanctimoniali. Voco autem obligationem praecisam vt illam augeam supra ordinariam clausuram virorum: quia non includit in obiecto seu materia illam conditionem *non exeundi sine facultate Praelati, aut Abbat. ss.* sed absolute non exeundi. Nam, licet haec negatio non excludat iustam dispensationem, nihilominus multum differt dispensatio à simplici facultate, vt dixi in cap. 6. à num. 12. & ideo illa vocatur absoluta obligatio. Prima ergo radix huius obligationis esse potest quartum votum monialium specialiter de hoc obiecto emissum. Non est enim dubium quin haec esse possit conueniens materia voti quatenus illa clausura ad diuinum cultum ordinatur, & ad obseruantiam castitatis, ac in vniuersum ad spirituale profectum multum conferre potest. Vbi ergo de talivoto constituerit, obligatio clara est, & materia eius extenditur iuxta declarationem regulae, vel communem obseruantiam monasterij. Multumque refert scire, an haec obligatio oriatur ex voto, vel aliunde, tum ad grauitatem eius, tum ad modum dispensationis, vt infra dicam. Aduertere etiam oportet non esse necessarium vt hoc votum explicite fiat, satis est enim si fiat implicate, vt si ex regula, vel ex ordinatione Ecclesiae iam constet hanc obligationem includi in ipsa professione, sicut in superioribus dicebamus tria vota semper fieri in professione, quauis saepe non exprimitur nisi obedientiae votum: vel sicut votum castitatis sit in susceptione ordinis sacri.

Secundo potest haec obligatio oriri ex pacto seu promissione mere humana facta monasterio, quod sub ea conditione vult recipere talem personam, & non alias. Haec ergo conditio sine dubio est iusta, & alioqui contractus ille vtrunque libere fit: ergo potest ex parte monasterij imponi illud grauen: ergo si acceptetur, oritur obligatio seruandi illud, quia pacta iusta seruanda sunt. Vt autem talis obligatio insurgat, oportet vt ea conditio in principio sufficienter proponatur, alias non erit voluntaria: intelligitur autem sufficienter proponi si in regula contineatur, vt professio ita fiat, vel consuetudine ita receptum sit: nam vniuscuique intendit profiteri secundum regulam, & probatam consuetudinem religionis. Hic autem secundus modus moraliter à precedenti non separatur: quia in professione non intelligitur fieri pactum mere humanum, cum de illo seruando Deo fiat promissio: & quia eadem clausura non promittitur homini nisi in quantum pertinet ad cultum Dei, & ita Deo principaliter promittitur. Atque huc etiam reducitur omnis obligatio orta directe ex regula, si in illa tale praecceptum contineatur: quia tunc etiam illa obligatio oritur ex voto obedientiae. Totam ergo hanc obligationem ex voto seu ex professione appellamus.

Vltimus ergo huius obligationis modus esse potest ex positio Ecclesiae praeccepto superaddito professioni: & de hoc fuit aliquando controuersia an possit Summus Pontifex hoc praecceptum imponere monialibus, quae per professionem ad clausuram se non obligauerunt. Videtur enim non posse, quia neque ex vi iurisdictionis Ecclesiasticae, haec enim non se extendit ad opera consiliorum, inter quae sine dubio computanda est perpetua clausura: neque etiam ex vi voti obedientiae, quia, vt supra vidimus, solum potest ex vi illius praecipi secundum regulam: ergo vbi clausura non est de regula, neque explicite promissa est, non potest imperari. Atque ita tenuit Oldrad. consil. 96. & propondit Felin. dicens eius rationem esse acquisitam in cap. *ad nostram*. de appellat. num. 6. Erat autem ratio Oldradi, quia frustra daretur annus probationis ad experiendas austeritates regulae ante professionem, si post factam professionem possunt nouae austeritates praecipi, quas Nouitius nec expertus est, nec cogitauit. Dicendum nihilominus, posse hoc praecceptum imponi, non solum per Pontificem Summum, sed etiam per Praelatos religionis.

Probatum primo ex vsu, quia ita factum est in cap. vnic. de statu regularium, in 6. & alijs, quae infra referemus. Responderi posset, Pontificem per illam legem obligasse omnes foeminas, quae post illam profiterentur religionem: quia per illam sufficienter est eis proposita conditio cum qua recipiuntur, non tamen obligasse iam tunc professas: sicut lex continentiae sacrorum Clericorum cum primum lata esset, non obligauit iam ordinatos, sed ordinandos, vt supra vidimus. Hanc tamen euasione excludit Pontifex, dicens, vniuersas, & singulas moniales, praesentes atque futuras. Vbi gloss. verb. *praesentes*, difficultatem huius praeccepti expendit, & tandem resoluit, licet Summus Pontifex non possit fideles cogere ad statum perfectionis, tamen

V.

VI.

VII.

postquam illi voluntarie illum sumpserunt, posse illos obligare ad arctiorem & perfectiorem vitam. Quomodo loquitur etiam glossa in cap. *quod omnes*. de regulis iuris, in 6. & in cap. *gesta*. 74. d. Innocent. in cap. *super eo*. de Regularibus. & idem videtur sentire Abb. in cap. *ad nostram*. de appellat. n. 4. & 5. vbi Felin. Decius, & alij eodem fere modo loquuntur. Sed hoc cum grano salis intelligendum est: quia non possunt religioso præcipi austeritates, quæ nullo modo ad regulam pertinent, vt in superioribus visum est tractando de obedientiæ voto, sed præcipi possunt ea, quæ directe vel indirecte, seu implicite in tali statu vel regula continentur, quæ sunt omnia, quæ licet in regula non sint expressa, tamen secundum rectam prudentiæ rationem vel ad decentiam talis status, vel ad puritatem eius & obseruantiam moraliter sunt vel necessaria, vel certe conuenientissima, vt late citato loco ex communi doctrina probatum est, & per se se est manifestum: quia in omni statu bene institutus est huiusmodi potestas in Prælato necessaria.

VIII.

Vnde utroque titulo supra insinuat potest Pontifex hoc præceptum ponere. Primo ex vi suæ iurisdictionis supposito statu iam voluntarie assumpto: multa enim sunt, quæ absolute non possent præcipi personis Ecclesiasticis, nisi talem statum assumpissent: illo autem supposito iuste imperantur, vt constat ex titulis de vita & honest. cleric. & de cohabit. cleric. & mulierum, & ne cleric. vel monachi, cum similibus. Et ratio est, nam qui assumit aliquem statum, virtute se obligat ad ea, quæ expediunt vel decent in tali statu: quorum determinatio nec semper est certa & sufficiens ex sola natura rei, nec relinqui debet vniuersi cuiusque arbitrio: ergo ad eum, qui præest in tali statu, ratione suæ iurisdictionis conuenit posse ea præcipere, quæ ad conseruationem & obseruantiam talis status necessaria sunt. Sed in præfati materia clausura monialium est moraliter necessaria ad puritatem status, quem professæ sunt, non solum propter obseruantiam castitatis (quantis hæc fortasse sit præcipua ratio) sed etiam ad tollenda multa impedimenta tendendi ad perfectionem, quod etiam Prælatus iure suo facere possunt: ergo. Et hanc rationem insinuat Bonifacius VIII. in dict. cap. v. n. c. dum ait, *periculosum & detestabile quarundam monialium status proinde salubriter cupientes*, &c. vbi statum monialium sine obseruantia clausuræ periculosum & detestabile vocat: quod ex effectibus & abusu ibidem ostendit, & inde recte colligit ad suam prouidentiam & iurisdictionem spectare huic incommodo prouidere. Alius titulus est, obedientiæ votum, qui eodem modo explicandus est, nam ratione illius potest Prælatus præcipere austeritatem, vel rigorem in regula non expresse contentum, si ad obseruanda ea, quæ in regula continentur, & maxime si ad vota substantialia in sua integritate conseruanda sint moraliter necessaria, vel ita vitia, vt difficile possit religio aliter contineri: talis autem est clausura respectu monialium, vt dictum est. Atque hoc modo recte procedit doctrina Canonistarum supra adducta, quam ita explicuit Nauarr. Comment. 4. de Regularib. num. 40. & sequentibus, & insinuat Antonin. 3. p. tit. 16. capit. 7. §. 3. Syluest. Religio. 7. quæst. 16. Angel. verb. Religiosus. §. 30.

IX.

Ad argum.
in num. 6.

Ad rationem ergo dubitandi responsum iam est, negamus enim assumptum. Vnde clausura respectu monialium etiam ante præceptum impositum non potest reputari ex illis bonis supererogationis, quæ proprie dicuntur de consilio, sed est vnum ex medijs adeo conuenientibus ad finem illius status, vt sit apta materia præcepti positiui. Imo est

tam consentaneum rationi naturali, vt Nauarr. supra plures proponat coniecturas, quæ suadere videntur ex natura rei esse præceptum, supposita obligatione status ex voto talium personarum, quæ licet non persuadeant, vt ipse fatetur, ostendunt saltem sufficienter esse aptam materiam humani præcepti. Ad rationem autem Oldradi responderet Felin. annum probationis non dari solum ad experiendum in specie talem religionem, sed propriam etiam aptitudinem suipius ad religionem in genere. nam per professionem videtur religiosus se subijcere omni alterationi & dispositioni Superioris, de qua potest eo tempore vniuersumque cogitare, & ideo non potest dici deceptus. Sed hoc non recte dictum est, vel iuxta limitationem supradictam intelligendum est, licet dicta verba vix illam patiantur. Dico ergo annum probationis solum concedi propter experimentum illius religionis, in quo facienda est professio. Sicut autem diximus potestatem Prælati extendi ad ea, quæ virtute vel indirecte continentur in regula, ita qui per annum probationis experitur talem regulam, virtute experitur omnia, quæ continentur in illa, experitur (inquam) vel saltem animi preparatione & deliberatione; intelligit enim per illud experimentum fore per professionem subiendum Prælato quoad omnia, quæ ad obseruantiam talis regulæ conuenientia fuerint: & hoc satis est, vt postea non possit de deceptione conqueri.

Expediuntur nonnulla dubia circa præfens caput.

Quærendum vero superest an hæc obligatio infit de facto omnibus ac solis monialibus, & ex quo principio ex dictis, & quam rigorosa sit; vltimo quis possit in ea dispensare, quod in sequens caput referuamus. Explicabimus vero tantum quid iure Pontificio seruandum sit, nam singulas earum regulas explicare nostrum non est. Nec mihi constat, quænam illarum emittant quartum votum clausuræ, aut ex vi suæ regulæ aut potest Pontificia præcepta. Priori enim modo dicuntur illud emittere religiosæ S. Claræ iuxta regulam ab Urbano IV. approbatam: & ideo iuxta modum & mensuram præscriptam a regula tenebuntur ex vi voti clausuram seruare. Aliqua etiam monasteria, post Ecclesiæ præceptum, non solum illam admittunt, sed etiam promittunt: quod an sit necessarium ex vi præcepti, attingam. Certum est autem, illud votum per se non addere obligationem extensiuam (vt sic dicam) sed solum intentionem, id est, nouum titulum obligationis ad eandem rem. Et ideo explicata materia præcepti, erit explicata materia huius voti.

Primo ergo dicendum est teneri moniales omnes ex præcepto Ecclesiæ ad obseruandam clausuram quantum ad cauendum exitum ab illa. Priusquam qui hoc præceptum posuit, videtur fuisse Bonifacius VIII. in cap. v. n. c. de statu regular. in 6. Nam licet in antiquis canonibus multa sint huius clausuræ præcepta, nullibi tamen erat absolute iniuncta, sed dependenter fere à legitima facultate Abbatis, vnde paulo maior foemini quam viris imponebatur. Canon enim 33. Concilij III. Carthagin. qui primus in hac materia esse videtur, prius permittebat virgines sacras à parentibus in suis domibus custodiri, postquam vero illi priuatis fuerint (ait) Episcopi prouidentia in monasteriis virgines, vel grauibus foeminis commendantur, vt sinu habitantes inuicem se custodiant, ne passim vagantes, Ecclesiæ ledant existimationem. Vbi etiam virgines orbatæ

orbate parentibus non coguntur in monasterio claudi, nam poterant grauioribus feminis commendari, & de virginibus habitantibus in monasteriis non dicitur ut nunquam exeant, sed ne passim vagentur, & ut inuicem se custodiant. Postea verò in can. 46. Trullano, qui VI. Synodo attribuitur, sic statutum est. *Qua vitam exercetoriam* (id est, religiosam) eligunt, & in monasteriis sunt constituta, ne omnino progrediantur: quæ prohibitio videtur esse absoluta (quoniam de efficacia illius canonis ad obligandum non satis constat.) Statim verò subiungit. *Si qua autem inexcusabilis necessitas ad hoc trahit, cum benedictione, & permissione eius, quæ præstet, hoc agant, tuncque non sola per se, sed cum aliquibus vetulis, & quæ in monasterio prima sunt, cum mandato eius, quæ præfata est, cum autem omnino extra cubare non liceat.* Vnde constat non fuisse absolutam prohibitionem, sed cum subordinatione ad licentiam Abbatisse. Et in Concilio Cabilonen. II. can. 65. similiter dicitur, *Sancti moniales, nisi forte Abbatisse sua pro aliqua necessitate inueniente illas mittente, nequaquam de monasterio egrediantur.* De ipsa verò Abbatisse dicitur in cap. 57. ut non exeat sine licentia Episcopi, nisi in quibusdam casibus. Constat itaque antiquis canonibus non fuisse hanc clausuram rigorosè præceptam. Primum igitur Bonifacius Papa illam absolutè præcepit, nulla relicta egrediendi facultate, quacunque ratione, vel causa, vna tantum addita exceptione infra explicanda: quæ exceptio magis confirmat prohibitionem ipsam quoad omnes alios casus, quia, ut est vulgatum axioma, *exceptio firmat regulam in contrarium.* Vnde existimo ex vi illius legis nullum exitum licuisse nisi per modum rigorosæ dispensationis, & satis dubium esse an possit aliquis præter summum Pontificem illam cedere, quia in lege Superioris adeò absoluta non potest inferior dispensare.

sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restituant, & ubi inuoluta est, conseruari maxime procurent. Postea verò explicando hanc clausuram, & obligationem ipsarum monialium, ait, *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire è monasterio etiam per breue tempus, quocunque pretexto, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbata, indulta, & priuilegiis quibusque non obstantibus.* Quod decretum si attenditur expendatur, in aliquibus æquale est decreto Bonifacii, ut mox ostendemus, & in aliquo strictius, ut num. 22. constabit: ac in aliquo suauius, prout in cap. sequenti videbimus. Est ergo æquale primo in materia, prohibet enim omnem exitum monialium à monasterio; & ita præcipit & innouat perpetuam clausuram. Quod autem in hac parte addit Concilium, etiam ad breue tempus, non fuit restrictio, sed maior explicatio, nam in absoluta negatione hoc continebatur: & quod ait, *quocunque pretexto*, perinde est atque illud quod dicitur à Bonifacio, *quacunque ratione.* Secundo est æquale in vniuersalitate personarum quas obligat; comprehendit enim omnes & singulas totius orbis, & cuiuscunque ordinis moniales: ita enim expressè loquitur Bonifacius VIII. & idem est sensus Concilij, tum quia innouat decretum Bonifacii; tum etiam quia vniuersaliter loquitur, *Nemini sanctimonialium*, &c. tum quia præcipit vniuersis Episcopis, & de monasteriis sibi subiectis, & non subiectis: ergo comprehendit omnes. Vnde vtrumque decretum comprehendit omnes religiosas tacite vel expressè professas, sic enim expressè distinguit Bonifacius. Concilium autem licet distinctionem omiserit, innouauit, & satis esse censuit dicere, *Nemini licet post professionem*, nam veraque tam tacita, quam expressa, est professio simpliciter.

Et quia in vtroque decreto nihil aliud postulatur, ideo vtrumque comprehendit omnes professas, siue antea vouissent, vel seruassent clausuram, siue non: non enim possumus nos limitationem addere, quam lex non posuit. Præsertim quia Bonifacius expressè tulit legem ad comprimendas moniales, quæ clausuram non seruabant, & expressè dixit, *moniales presentes, atque futuras, & cuiuscunque religionis, vel ordinis*: ergo euidenter voluit omnes obligare, etiam quæ non profitebantur clausuram. Denique non præcipit ut suam pristinam obligationem seruare compellantur, sed ex vi suæ legis obligationem ipse imponit, dicens, *Præsentis constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus.* Ex quibus verbis constat & legem esse nouam, & de se non supponere obligationem, sed imponere. Concilium autem Trident. innouando Bonifacii constitutionem, & nullam quoad hoc addendo limitationem, euidenter loquutum est in eodem sensu imponendo eandem obligationem legis Ecclesiasticæ eisdem professis omnibus in eadem vniuersalitate sumptis. Et ideo præcipit Episcopis ut ubi clausura seruata fuerit, illam retineri faciant: ubi autem violata fuerit, restituant: violatam enim censet vbicumque non seruabatur, propter legem Bonifacii VIII. nam non dicitur violatio, nisi sit contra aliquam obligationem, vel legem. Et ideo monasteria, quæ non profitebantur clausuram, non possent propriè dici violasse illam, si ad illam non tenerentur. Quia verò ex lege Bonifacii obligabantur, ideo eorum etiam non observatio, violatio censetur, nam per violationem saltè incepta. Concilium ergo vtens illa distinctione, satis distinctè voluit constitutionem Bonifacii in sua vniuersalitate restituere. Quod etiam in vltimis verbis, per quæ reuocat indulta, hoc satis declarauit, ut statim exponam. Et clarissimè in cap. 22. eiusdem sessionis explicuit omnia & singula decreta

XIV.

Etiam ead
qua antea
non teneban-
tur ad clau-
suram.

Illud tamen decretum vsu receptum non fuit, vel per contrariam consuetudinem fuit antiquatum, vnde indicat Concilium Trident. sess. 25. cap. 5. de Regulis, dicens, *Bonifacii VIII. constitutionem renouans* Sancta Synodus; & infra, *Præcipiens ubi clausura violata fuerit diligenter restitui, & authores passim testantur, & experientia nobis in Hispania constat, & de Gallia refert Ioannes Andreas super illud cap. Et ob hanc fortasse causam dixit Caietan. in summ. verb. *Monachi*, excusari moniales circa clausuram indictam à iure, si nunquam fuit acceptata, & Episcopi sic semper gubernarunt dando eis licentiam exeundi, quoniam iura non recepta tanto tempore infirma sunt. Idemque est si fortè alicubi in principio acceptata fuit, & postea per contrariam consuetudinem reuocata. Quæ consuetudo non ad hoc tantum præualere potuit, ut licentia Episcopi sufficeret, sed etiam licentia Abbatisse: quia vtrumque est tantum contra ius humanum, quod potest per legitimam consuetudinem contrariam tolli. Potuit autem ius illud sic abrogari in vna prouincia, & non in alia, & intra eandem prouinciam in vna religione, & non in alia; imò & in vno monasterio eiusdem religionis, & non in alio, quia sunt communitates diuersæ, & vna potest non recipere legem, vel præscribere contra illam, licet alia eam recipiat, & obseruet. Nihilominus tamen quatenus rigor illius legis per posteriores temperatus est, poterunt omnia monasteria ea moderatione vti, etiam si antea legem illam integrè seruauerunt.*

Concilium ergo Trident. sess. 25. cap. 5. de Regulis innouando dictam constitutionem, hunc modum obseruat, quod prius præcipit vniuersis Episcopis, *sub obligatione diuini iuris, & interminatione maledictionis æternæ, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinibus, in aliis per Sedis apostolicæ auctoritate, clausuram*

de monialibus edita, intelligi de monasteriis quorumcunque monialium, virginum, ac viduarum, quocunque nomine appellantur, etiam si viuunt sub gubernio militiarum, etiam Hierosolymitanæ, sub quacunque regula, &c. quæ ibi videri possunt, & amplissima sunt, & æquæ ampliant hoc decretum de clausura, ac si in illo specificè addita essent, licet in finem sint reseruatæ, ne scilicet illa repetere esset necesse. Non est ergo dubium quin hæc fuerit mens Concilij; & ita etiam supponunt euidenter Pius V. & Gregorius XIII. in decretis infra citandis, ac prorsus in praxi seruari vidimus, & statui Salmanticæ in Concilio Compostellano anno 1566. Tradit denique Nauar. in Comment. 4. de Regularib. n. 4. & latè & doctè Emmanuel Rodriguez tom. 1. Questionum regular. quæst. 44. art. 2. Habet autem specialem difficultatem, an conuersæ sub hac generalitate comprehendantur, de quo dicemus melius post sequens punctum in n. 17.

Denique e-
standitur
praxi, & au-
thoribus.

XV.

Vltimò commune est vtrique decreto, vt non comprehendant nisi moniales professas. ita docent omnes, & explicuit Congregatio Cardinalium circa Concilium Trident. agens de monialibus Tertiariis, seu de Penitentia, quas si professionem emiserint, dicit cogendas esse ad clausuram, si verò professionem non emiserint, seruandam esse constitutionem Pij V. *Circa Pastoralis officij.* quæ est 8. in Bullario Romano, vbi dicit, huiusmodi fœminas monendas esse à Prælati, vt professionem emittant, & postea clausuram seruent: quod si induci non poterint ad professionem emittendam, prohibeantur ne in posterum alias in suam congregationem recipiant. In qua constitutione manifestè etiam supponitur, eas omnes, quæ in religione approbata tria vota substantialia non emiserunt, hac lege non comprehendi. Ratio autem in primis est, quia dicta iura expressè limitant suum præceptum ad professas tantè, vel expressè; & huius limitationis ratio fuit, quia illæ sunt tantum propria religio, & Ecclesia solum pro religiosis fœminis hanc curam clausuræ adhibuit. Quapropter quantumuis virgines sint per votum virginis tatis consecrata Deo, & collegialiter viuant, & sub obedientia vel spontanea, vel etiam priuato voto aut pacto promissa, si non habent statum ab Ecclesia pro religioso approbatum, & in eo tria vota substantialia emiserunt, non obligantur hoc præcepto clausuræ, licet circa eas obseruanda sit constitutio Pij V. & ita in specie de quadam congregatione fœminarum resoluit Nauar. conf. 6. de statu monach.

XVI.

An nouitia
interrumpit
clausuram,
interrumpat
etiam noui-
tium.

Ex quibus inferitur primò, nouitias non obligari hac lege, quia religiose non sunt. Solum potest dubitari, an si nouitia semel exeat à monasterio, eo ipso definat esse monialis eo modo quo antea erat, id est, definat esse nouitia, & consequenter interrumpat nouitium. In quo breuiter certum mihi est, si exeat sine licentia Abbatis, interrumpi annum, & consequenter amittere priorem qualemcunque statum, etiam si habitum non exuat, vt à fortiori patet ex dictis tomo superiori de anno probationis in genere. Si autem exeat cum licentia Abbatis, vel superiorum monasterij, ad quos hoc pertinet, & ex iusta causa data, certum est & licere, & non interrumpere nouitiatum. Ita enim intelligo quoddam responsum Congregationis Cardinalium si nouitia morbi curandi causa de licentia Superiorum, & cum eo habitu, qui ipsis videbitur, ante professionem exeat, & postea sanitate recuperata redire voluerit, posse & ad habitum, & ad professionem recipi. Intelligo enim sensum esse, posse recipi eodem tempore & modo, ac si intra monasterium suam probationem continuè peregrinasset: quia non intelligitur eam interrupisse, sub eadem sem-

per obedientia viuens, & habitum non temere dimittens. Alioquin si nouus annus esset necessarius, nihil deferretur declaratio: nam licet dimississet omnino religionem & habitum, volens reuerti, posset recipi ad habitum, & perseuerando in nouitiatu, etiam ad professionem. At verò si egressus nouitiae sit de licentia Abbatis, malè tamen concessa, res videtur dubia, quia perinde videtur exire cum tali licentia, ac sine vlla; quia illa licentia nulla est, cum Abbatis non possit illam dare: & idem dicam de Prælato, si absque causa legitima illam det. Nilominus cenfeo per talem exitum non interrumpi seu amitti nouitiatum: quia nulla est lex quæ interrumpat illud. Imò neque inuenio legem iuris communis, quæ prohibeat directè huiusmodi exitum, aut Abbatis ne possint hanc licentiam dare, sed ex regulis & prohibitionibus Superiorum hoc pœdet; & ideo nisi expressè declaratum sit in aliquo monasterio, illam continuationem clausuræ esse de substantia nouitiatu, nulla ratione dici potest per illum exitum interrumpi. Estque clara differentia inter illum exitum, ab eo qui est sine licentia: nam quando est sine licentia, est quædam retrocessio ab obedientia, & consequenter ab vnione cum tali monasterio: quando autem sit cum licentia, semper retinetur vnio & permanentia in eadem religione quantum ad illum gradum: ad quod facere possunt quæ tractat Nauar. confil. 32. de Regularibus.

Secundò ex dictis resoluitur dubium supràm finem num. 14. relictum de monialibus conuersis vtrum ad clausuram teneantur: nam si professionem triu votorum non emittunt, non tenentur ad clausuram, quia non comprehenduntur sub illa lege, & alio titulo non tenentur: suppono enim illam non vovere nec promittere. Si autem emittunt tria vota, ad illam obligantur ex vi huius decreti, vt satis patet ex dictis: & quia in substantia religionis non possunt differre hæc conuersæ ab aliis, sed solum in ministerio; quia conuersæ dicuntur quæ deputantur ad seruitia, seu ministeria corporalia, aliæ verò ad chororum; vnde etiam differunt in habitu saltem quoad hoc, quod conuersæ non deferunt nigrum velum, sicut aliæ: vnde etiam inferiores sunt in quodam gradu honoris, seu dignitatis, per quæ omnia non minuitur earum religio, sed augeri potest: & ideo nec clausuræ obligatio minor in eis esse debet. Dixi autem, ex vi illorum decretorum: quia Pius V. in sua constitutione 8. *Circa pastoralis officij.* quandam in hoc limitationem seu exceptionem permittit, scilicet, vt in monasteriis, quæ ad suam sustentationem indigent elemosynis fidelium, quæ per conuersas colligendæ sunt, si illæ fuerint professæ, possint extra monasterium degere cum his conditionibus. Prima, vt sint ætatis annorum 40. Secunda, vt in domo contigua monasterio degant. Tertia, vt non ingrediantur clausuram monialium nisi in casibus in suis constitutionibus expressis. Quarta, vt de suis domibus non exeant ad colligendas elemosynas, nisi de licentia Ordinarij & Superiorum. Gregorius autem XIII. in sua constit. 13. *Deo sacræ.* cupiens hanc exceptionem auferri, iniungit Ordinariis, vt quacunque ratione cognouerint posse conuenienter conuentuum moniales sustentari sine hac elemosynarum collectione, easdem conuersas sub eadem clausura cum aliis monialibus reducant, neque amplius à suis monasteriis exire permittant.

Dubium bipartitum circa conuersarum professionem & clausuram.

Duo autem ex illis constitutionibus circa has conuersas oriuntur dubia. Primum est, an possint prima iam veram professionem emittere, & ad clausuram obligari.

obligari. Nam Pius post superiora verba subiungit: Et de cetero nullo alio p. off. p. conuersa recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint: quod si aduersus hanc nostram prohibitionem recepta fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc nullam ac irritam facimus, & annullamus. Responderi potest Pontificem prohibere vt non recipiantur conuersæ professæ, quæ extra monasterium manent, sed vt finitis illis quæ tunc erant, collectio fieret per conuersas non professas. Sed obstat, quia Gregorius XIII. contrario potius modo declarat illam prohibitionem, dicens: Quod autem idem Pius statuit de cetero nullas alias conuersas professas recipi amplius possint: intelligendum declaramus, præter illas conuersas quæ extra monasterium in domibus contiguis degerent. In quo potius significat illas recipi posse, non verò alias quæ intra monasterium degant: quod videtur incredibile, vt statim dicam. Secundum dubium est, an possint nunc in monasteriis esse conuersæ non professæ. Nam Gregorius expressè dicit: Conuersas vero non professas, & profiteri nolentes, a missis, habitu domum remittant, neque alias in futurum nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras, in monasteria huiusmodi recipi permittatur. In contrarium verò est, quia hæc prohibitio videtur priori prohibitioni repugnare, vel ex utraque sequi nullas conuersas esse posse in monasteriis monialium, quod admitti non potest.

Circa hoc dubium Nauarr. Comment. 4. de Regularib. n. 56. existimat prohibitum esse monialibus recipere conuersas, quæ professionem emittat, & intra monasteria manent; & quod amplius est, dicit, consuluissè de hac Gregorium XIII. & ipsi summa interpretatum esse mentem Pij V. & suam. Verumtamen de interpretatione viua voce data ab ipso Gregorio XIII. mihi non ita constat, vt teneat illi nunc adherere. Nam licet certò credam Nauarrum veritatem referre, nescio tamen an factis verbis Gregorij perceperit, aut intellexerit. Mihi tamen persuadere non possum dictos Pontifices id prohibuisse. Primò propter rationes optimas, quas idem Nauarrus adducit, vt verisimilis non sit talis prohibitio; quia nullo titulo necessaria, aut vtilis vel conueniens apparet, neque per sese ad statum religiosum, vel perfectionem eius: cur enim hoc magis pertinet ad perfectionem monialium, quam monachorum, qui vbiq; habent conuersos profectos, seu veros religiosos, etiam si maximam perfectionem & rigorem vitæ profiteantur. Neque ad finem clausuræ, quam in illis indultis præcipue intendunt dicti Pontifices, & vbi solum ea occasione aliquid de his conuersis statuunt: si autem illæ ad perpetuam clausuram obligantur, quid potest nocere clausuræ earum professio? Aliunde verò earum auxilium est moraliter necessariū cæteris monialibus, quæ propriè monachæ vocantur, & diuini officii magis vacare debent, & multo maius inconueniens esset recipere intra clausuram conuersas, quæ nunquam profiteantur. Accedit præterea, quod per talem prohibitionem impediretur status perfectionis multis pauperioribus fœminis, quæ ad gradum monacharum recipi non possunt. Effet denique talis prohibitio contra receptam & ferè vniuersalem consuetudinem, quam verisimile non est voluisse dictos Pontifices abrogare sine vrgentissima causâ, quæ hic non apparet: nam ita postulat æquitas legis humanæ Ecclesiasticæ: præsertim cum illa consuetudo honesta & sancta videatur.

Secundò moneor propter expressa verba Gregorij XIII. præcipientis conuersas non professas in monasteriis tunc receptas, aut profiteri, aut abire, neque alias (inquit) in futurum nisi professionem

suo tempore emissuras, atque in perpetua clausura mansuras in monasterio huiusmodi recipi permittantur. Ex quibus verbis euidenter constat ipsum non simpliciter prohibuisse receptionem conuersarum, tantumque abesse vt professionem veterit, quod potius hanc posuit tanquam cõditionem necessariam vt conuersæ admittantur, cū qua expresse voluit vt permittantur. Quorum verborum vis non latuit Nauarrum, nihil tamen ad illa respondet, nec declarat quomodo potuerit Gregor. XIII. sine expressa contradictione mentem suam aliter viua voce declarare.

Tertiò declaratur exponendo mentem vtriusque Pontificis. Nam Pius V. proximè loquutus fuerat de conuersis destinatis ad eleemosynas colligendas, easque permiserat extra monasterium in propinquis domibus habitare; & statim subdit, Et de cetero nullo alio p. off. p. conuersa recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint; irritatque receptionem & professionem. Et prosequitur deinde, Quod si prædicto modo necessitatibus monialium, &c. ergo manifestè loquitur de conuersis degentibus extra monasterium, & illas tantum refert cū ait, nulla alia: nam contextus ipse & connexio antecedentium cum consequentibus planè id ostendit. Gregorius autem XIII. volens dispositionem Pij vel declarare, vel limitare, de conuersis intra, & extra monasterium degentibus distinctè loquitur. Et primum vult omnes conuersas professas reduci ad clausuram monasterij quoad fieri possint: Secundò vult, vt intra monasteria nullæ sint conuersæ non professæ. Tertiò voluit vt conuersæ professæ intra monasterium & tunc esse, & in futurum recipi, & denuò profiteri possint. Quartò permittit, vt præter conuersas intra manentes, si necessitas eleemosynarum duret, possint ad hoc ministerium extra monasterium in domibus propinquis huiusmodi conuersæ professæ habitare, & in futurum etiam ad hoc recipi. Quintò prohibuit, ne plures huiusmodi recipi possent; quam ad hoc ministerium eleemosynarum essent necessariae, & ita dicit esse intelligendum, quod Pius V. dixit, nullas alias in p. off. p. recipi posse, scilicet nullas alias præter eas, quæ propter ministerium eleemosynarum necessariae sunt, & in propinquis domibus habitent. Difficile autem creditu est hanc fuisse mentem Pij V. nam proximè post illam prohibitionem subdit, Quod si prædicto modo necessitatibus monialium succurri sufficiens non poterit, mandamus Superioribus, vt ipsi provideant de aliis personis piis, & Deo deuotissimis, quæ fidelium eleemosynas colligant. Quod remedium necessarium non esset, nisi mens eius fuisset vt collectio amplius non fieret per conuersas denuò ad professionem receptas. Nec Gregorius dixit aliam fuisse mentem Pij V. sed voluit illam ex parte mutare, concedens vt vbi necessaria fuerit hæc collectio, possint aliquæ conuersæ ad professionem recipi propter illud ministerium: quia seruatis circumstantiis à Pio V. positis, videtur moraliter fieri posse, sine inconuenienti, & sperari, quod per eas ministerium fidelius, & diligentius fiat. Denique neuter ex dictis Pontificibus disponit an possint monasteria monialium habere aliquas conuersas seu oblatas non professas, quæ extra septa monasterij in domibus propinquis degant. Tamen eo ipso quod hoc non prohibent, relinquitur hoc iuri communi, vel naturali, aut speciali vniuersalisque religionis: constat autem ex natura rei hoc non esse malum, sed posse esse religiosum & sanctum, sicut est in religionibus virorum: neque etiam inuenio decretum aliquod iuris communis, quod hoc prohibeat. Relinquendum ergo est iuri religionis, vel receptæ consuetudini, dummodo his conuersis ingressus ad monasterium nō pateat, nisi

XXI.

Satisfit monasterio Nauarr. in n. 19.

nisi iuxta dicenda in c. 10. circa alteram partem huius clausuræ, ad quam hæc obligatio pertinet. Et hæc de conuersis.

XXII.
In quo decre-
tum Conci-
lii sit stri-
ctius quam
Bonifacii.

Præter dicta autem de clausura Concilium Tri-
dent. addit, reuocationem privilegiorum, dicens,
Indul. si quibusque, & privilegiis non obstantibus. Et in
cap. 22. fit amplior, magisque specifica reuocatio,
Non obstantibus eorum (id est regularium) omnium, &
singulorum privilegiorum sub quouscunque formula verborum
conceptis, ac M. re magnum appellatu, etiam in fundatione
obtentis, necnon constitutionibus, & regulis etiam suratis, at-
que etiam consuetudinibus, vel prescriptionibus, etiam im-
memorabilibus. Quæ tota reuocatio ad prædicta le-
gem applicanda est: nam idem Concilium ait, cade-
re in omnia præcedentia, & singulas eius partes: er-
go maxime in hanc, quæ est vna ex principaliori-
bus partibus. Et quoad hanc partem est rigorosior
hæc lex Concilij, quam fuerat Bonifacii. Nam ille
nullam expressam reuocationem privilegiorum,
vel consuetudinum addidit, & ideo licet ex vniuer-
salitate & exaggeratione verborum, & ex circun-
stantiis literæ posset fortasse colligi, non tamen ita
clare & apertè, præsertim ad reuocandas immemo-
riales consuetudines, vel specialia privilegia, præ-
sertim in ipsamet fundatione monasteriorum ob-
tenta: quia iuxta commune ius lex non solet huius-
modi derogare, nisi satis expresse id declaratur, iux-
ta c. 1. de constit. in 6. Nunc verò per hoc decretum
vt latum est à Concilio Trident. certum est nullum
genus privilegij, vel consuetudinis posse impedire
hanc obligationem.

XXIII.

Ex his ergo satis declarata sunt tria puncta supra
num. 10. proposita, scilicet hanc obligationem om-
nibus, & solis monialibus professis esse impositam,
& opiri, non quidem ex voto generatim loquendo,
sed ex præcepto Ecclesiastico iam à nobis declara-
to. Dico, generatim loquendo, quia aliquæ moniales, vt
S. Clare, & foretæ alix, emittunt hoc votum in
quibus additur (vt sic dicam) obligatio intensiua,
non extensiua, quia hæc reuera non potest esse ma-
ior. Nam quoad personas hoc præceptum extendi-
tur ad omnes religiosas, vt dictum est, quoad locum
seu actum prohibet omnem exitum extra claustrum,
etiam ad Ecclesiam, quam seculares intrant, & ex-
tra ianuam clausuræ, etiam si sit intra aliam quæ
patere solet secularibus, vt Gregorius XIII. in suo
Motu distinctius præcepit, & Nauarr. dict. Com-
ment. 4. n. 57. declarauit. Quoad tempus verò seu
occasionem exeundi comprehendit omnes, tantum
necessariis exceptionibus adhibitis, vt mox decla-
rabimus. Non potest ergo esse maior extensio huius
obligationis. Nō cogit autem præceptum hoc mo-
niales vt votum clausuræ emittant, quia neque in
aliqua constitutione hoc declaratur, neque sub hac
ratione receptum est illud præceptum, sicut cōtin-
git in continentia clericorum, & ideo non est quod
hanc obligationem imponamus. Et ita etiam patet
quam rigorosa sit hæc obligatio.

C A P V T IX.

Quis possit in prædicta clausura monialium dispensare.

I. VT vltimum punctum ex propositis in cap. præ-
cedenti num. 10. expediamus, oportet explicare
moderationem, quam Concilium Tridentinum
addidit huic præcepto, *mixta aliqua legitima causa ab*
Episcopo approbata, per quam temperatur, vt eodem
cap. num. 13. dicebamus, rigor præcepti Bonifacii.
Quia (vt ibi notauimus) absolutam reliquit prohibitio-
nem, & vnicam exceptionem addidit, per quam
magis videbatur coarctari generalis prohibitio.
Quod fecit consultissime Concilium, vt facilius

possent moniales induci ad seruandum præcepti,
quod tanto tempore recusauerant. Circa illam ve-
rò moderationem nonnulla explicanda sunt: Pri-
mum, quæ sit illa legitima causa: secundum quis
possit licentiam dare.

Dubium primum de legitima causa egrediendi clausuram.

Circa primum dicendum est, ex vi Concilij re-
lictum hoc esse prudenti arbitrio Episcopi. Proba-
tur, quia talis causa nullo iure definita est, nec Co-
cilium illam determinat: ergo reliquit arbitrio Epi-
scopi, cui approbationem committit. Dices, iam
fuerat hæc causa à Bonifacio definita, scilicet labo-
rare tali morbo, vt nō possit cum aliis absque gra-
uari periculo seu scandalo communicare: causa autē
legitima idem est, ac causa per legem statuta: ergo
de hac loquitur Concilium, & hanc vult esse reco-
gnitam & approbatam ab Episcopo. Sed nō est hæc
mens Concilij, neque ita communiter intellectum
aut receptum est, & constat etiam ex constitutioni-
bus Pij, & Gregorij, vt itatim videbimus, & ex
multis declarationibus Cardinalium, & ex vi &
propriate verborum. Nam legitima causa inde-
finitè significat causam rationabilem, quæ legi re-
ctæ rationis conformis est: non ergo rectè limita-
retur ad particularem causam illo antiquo iure in-
dicatam.

Aduertendum est autem Pium V. in constitutio-
ne 100. *Decoris* causam hanc intra certos limites præ-
scripsisse, cum maiori quidem amplitudine quam
Bonifacium, cum magna tamen (vt apparet) restri-
ctione Concilij. Sic enim ait, De cetero etiam infirmi-
tati seu aliorum monasteriorum occasione & pretextu, nisi
ex causa magni in eandem aut infirmitatis lepra, aut epidemia,
à monasterio præfatu exire, sed neque in prædicta castella tes-
tera illa nisi ad necessarium tempus stare licebit. Vbi apertè
causam legitimam restringit ad illos tres casus. Ex
quibus duo postremi continentur sub causa à Bo-
nifacio explicata; imò plures videtur Bonifacius
comprehendisse, nam plures videtur esse morbi
contagiosi, qui communicati graue periculum vel
scandalum asserere possunt, quos omnes Boni-
facius sub generali voce complexus est. Nauarrus
autem in dict. Commentario 4. de Regularib. n. 47.
ait, hoc casus Pij V. extendēdos esse ad similes quod
variis coniecturis confirmat. iuxta quam interpre-
tationem manifestum est totum quod Bonifacius iuxta
in sua exceptione comprehendit, contineri in dua-
bus infirmitatibus à Pio V. in specie positis. Preter
tim quia verisimilius est nomen epidemia non rigo-
rosè sumi ibi pro illa quæ pestis dicitur, id est, pro
morbo, qui ita grassatur, & per cōtagium commu-
nicatur, vt maiorem hominum partem, quos ferit,
interimat: sed vt latius dicitur de quolibet morbo
communi ita contagioso, vt ab vno facile ad alios
diffundatur, si cum illo communicent. Cum enim
illa lex quoad hanc partem restrictiua & odiosa sit,
verba eius in mitiori significatione propria inter-
pretanda sunt: certum est autem iuxta vsum per-
torum artis medicæ, vocem epidemia absolute dictā
hanc habere significationem. Iuxta illam ergo int-
telligenda est hæc lex, & ita non per similitudinem, sed
sed etiam per proprietatem comprehenduntur om-
nes morbi verè cōtagiosi, qui communicati gra-
ue periculum vel scandalum asserere possunt. Et ni-
hilominus verum existimo Nauarr. dictum, in illis
scilicet casibus comprehendendi quosque alios
similes, vt in eis eadem ratio, quæ in prædictis, mi-
litat. Ponit ipse exemplum in periculo belli immi-
nentis: nam tunc liceret monialibus fugam capere
propter similitudinem rationis cum primo casu in-
dicendi: quod etiam admittit Gutierrez lib. 1. præ-
carum